



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Voto & Voti redemptione. Consilium CCCCLXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Voto & Voti redemptione.

SYMMARIUM.

Dispensatio super Voto.

1. Votum quodlibet admittit dispensationem, excepto voto castitatis.
2. Votum castitatis simplex dispensabile per summum pontificem.
3. Vota quae sine dispensabilibus per Episcopos & alios inferiores.
4. Voto dispensando debet adesse iusta causa & quae.
5. Dispensatio super voto an liberet in conscientia.
6. Voti commutatio quomodo & quando permittitur.

CONSILIUM CCCCLXVII.

PROPOSITUM quod Catharina ætatis circiter triginta quinque annorum, constituta in virginitate, a matre sua viduæ ætate confectæ cohabitans, post deliberationem unius circiter anni, factâ confessione sacramentali, in genua apud suum Pastorem Confessarium provoluta, in Ecclesia in scriptis emisit sequens votum in manibus ejusdem Pastoris, videlicet, quod deo & benedicta eius matri Maria, omnibus Sanctis, se in manibus dicti Pastoris tamquam vicarii Dei esset & præsentaret vivere in virginali castitate omnibus diebus vite sue, promittens etiam obedientiam ad discretionem sui Confessarii, & quod viveret secundum regulas & ordinationes sequentes: videlicet omnibus diebus festis Christi & Mariæ publicè celebribus: item in festis S. Walburgis & S. Iohannis Baptista, ac omnibus diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, alterius quoque diebus Dominicis alijs anni temporibus confiteri, & sacramentum Eucharistiæ percipere. In vestitu omnem preciositatem & curiositatem vixitatum & modum immodicorum virginum vitare. Item iuxta consilium Confessarii diebus Veneris in profectu B. Mariæ, ac Venerabilis Sacramenti, & in Adventu diebus Mercurij ieiunare; quotidie (excepto magno & rationabili impedimento) Missam audire: item cum commodè fieri poterit, audire laudes Venerabilis Sacramenti diebus Dominicis & feryis quintis; diebus Sabbati laudes B. Mariæ, atque etiam Vesperas in festis B. Mariæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Sacramenti, Iohannis Baptista, sanctæ Walburgis, omnium Sanctorum, Nativitatis, Circumcisionis, & Epiphaniæ Christi: & præterea testamento legare viginti florenos annuos ad intentionem unius studentis in Universitate Lovaniensi præsertim in Theologia post studium in artibus; si & in quantum Deus ei dabit potestatem illius faciendi. Hoc voto sic emissio, dictâ matre mortuâ, præfata Catharina se in angustiis animi ex huiusmodi promissionibus constitutam deprehendit, & si fieri posset, ab hoc voto & promissionibus huiusmodi liberari petiit. Queritur, an dispensatione aliquâ id impetrare, aut saltem totum hoc votum etiam quoad virginitatem seu castitatem, & reliqua in aliud commutare possit.

Ad quam questionem respondemus, quod etsi vota voventem Deo obstringant, c. Magna De voto & voti redempt. B. Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 10. & sine propriæ salutis dispendio ab ijs resiliere non liceat, c. Licet in primis. De voto & voti redempt. omne tamen votum recipiat seu admittat dispensationem; excepto continentia seu castitatis, Thomas d. q. 88. artic. 10. & 11. D. d. m. c. Veniens. Qui cler. vel

voventes; non quidem omni, sed eo, quod solemne est, quod fit per professionem religionis, & assumptionem habitus, c. Consilium Qui cler. vel vovet. Thomas d. q. 88. artic. 7. ita ut non solemnizatum etiam continentia votum, quod simplex appellatur, dispensationi subijciatur; * & addo quidem, ut hoc votum simplex etiam sine dispensatione facillimè resolvatur; si is qui sic castitatem vovit, fide rupta de facto legitimè matrimonium contrahat, Henricus Boyeb. in c. Rursus nu. 3. in vers. aut queritur de secundo principali Qui clerici vel vovet. Etsi enim idem votum simplex impediatur contrahendum matrimonium; hoc est voventem sub pena peccati mortalis obstringat, ne matrimonium possit contrahere: contra promissionem tamen de facto contractum matrimonium tenet; ideoque dispensatione aliquâ præcisè opus non est, d. c. Veniens. c. Memimus eod. tit. sed ut hoc peccatum mortale evitetur, opus est dispensatione; ut in alijs votis dispensabilibus. Et huius dispensationis potestatem, extra omnem disputationem in quibuscumque votis habet summus Pontifex: * Episcopi verò & alij inferiores 3 Prælati in ijs tantum, quæ communiter fiunt & indigent frequenti dispensatione; ut sunt vota communium peregrinationum, juniorum, & aliorum huiusmodi, c. 1. De voto & voti redempt. Vota enim maiora, ut est peregrinationis ad terram sanctam, c. Ex multa eod. tit. & votum continentia simplex, non solemne, ex sententia D. Thomæ, d. q. 88. artic. 12. in fine, solius Pontificis dispensationi est reservatum: quamvis aliqui Canonistæ potestati Episcoporum in non solemnibus votis continentia dispensationem permittant, Specul. in tit. de legat. §. nunc de Episcoporum versio. 133. In proposito itaque casu certius remediū non est, quàm in Pontificia dispensatione; quæ non tantum continentia sed etiam aliorum piorum operum vota per hanc Catharinam emissâ sic resolveret, ut sine peccato illis contravenire poterit, vovet. in d. c. Veniens nu. 6. Dominicus à Soto de iust. & iure lib. 7. quæst. 4. artic. 2. & 3. quia voti transgressor dicendus non est, qui quod vovit, auctoritate sedis Apostolicæ differt implere, c. Non est de voto & voti redempt.

Ceterum in hac re difficultas est. Cum enim 4 dispensatio in votis debeat ex aliqua harum trium causarum fieri; nempe quia, ut sit, quod quis vovit; aut quia inutile; aut quia maioris boni impedimentum, c. Magna d. tit. D. Thomas d. q. 88. artic. 10. in fine: vix est ut hic cadat dispensationis petendæ occasio. In his enim omnibus, quæ dicta Catharina vovit, nullum per se malum latet, nullum boni impedimentum, neque etiam aliud quod inutile: cum in facto nobis proponatur, dictam Catharinam neque cupiditate contrahendi matrimonij, neque vitio aut metu incontinentia teneri; quo imminente proculdubio dispensandi iustissima esset causa, d. c. Veniens d. c. Rursus Qui cler. vel vovet, quia deficientibus omnibus, quæ iustitiam dispensationis faciunt, in conscientia non posset ista Catharina esse tuta. * Etsi enim in foro fori 5 liberet dispensatio; non liberat tamen in foro conscientia, nec excusat à culpa, si deest iusta aut rationabilis causa, D. Th. d. quæst. 88. artic. 12. versio. ad secundum in fine.

Quæ consideratio procedit etiam & locum ob- 6 tinet

tinet in commutatione votorum: nam etsi regulariter commutationis, ut dispensationis, sit potestas, ubi causa subest, & utrumque in potestate Ecclesiæ consistat; imò facilius admittatur commutatio quam dispensatio, D. Th. d. q. 88. art. 10. vers. respond. in fine, cum hæc interdum dum ob aliud longè melius sit, propriâ auctoritate fieri possit inconfulto superiore, & sine illius auctoritate, Panor. in c. Scriptura De voto & voti redempt. licet semper tutius sit, id fieri superioris auctoritate, c. 1. De voto & voti redempt. Summa Angel. in verb. Votum. vol. 4. nu. 2. nisi forte abeat in longè & evidenter melius, Soto d. q. 4. per c. Pervenit 2. De iureiur. in commutatione tamen, quæ fit etiam cum superioris auctoritate, eadem ferè consideranda sunt, quæ in dispensatione; ut fiat considerata qualitate personæ voventis, & causæ ipsius voti; considerata quoque qualitate & quantitate ejus, in quod fit commutatio, Hostiensis in Summa de voto vers. qualiter & cuius nu. 12. Soto d. q. 4. & quidem facilius in alijs, quam in continentia seu castitatis voto etiam simpliciter emisso; cum enim in bonis eo voto nihil melius estimetur, privatâ auctoritate commutari non potest, Soto d. q. 4. vers. quocirca. Sola ergo angustia animi, propter abdicatam laxiorem libertatem, hic non sufficit. Quamvis non satis intelligamus, quomodo illa animi angustia tanta & tam magna esse possit; si nec contrahendi matrimonij est desiderium, nec incontinentiæ periculum. In alijs omnibus propositæ promissioni adiectis votis, relaxandi major & faciliior esse potest occasio & potestas, vel simpliciter, vel per redemptionem; hoc est per erogationem in elemosinas, aut in aliam piam causam, c. 1. & 2. c. Magna vers. cum igitur, c. Quod super De voto & voti redempt. vel per commutationem in aliud vel equale vel melius, d. c. Magna §. cum igitur; præsertim si infirmitas huius personæ aut aliud in causa sit, quò minus illa, sine voti transgressione, aliquando implere possit, d. c. Quod super. Plerumque enim ex facilitate potius, quam ex discretionis arbitrio emittuntur, c. 2. De voto & voti redempt. ideoque iudicio Ecclesiæ seu Superioris subijciuntur, Mart. Azpilcueta Navar. in manuali confess. c. 12. nu. 79. præsertim quòd ea, quæ hic proponuntur velut pro regula seu norma vivendi, assumpta sint sine auctoritate Episcopi, aut ejus, qui regulam ordinatam facere vel statuere potest.

De Religiosis Domibus.

S V M M A R I U M.

Visitatio Monasteriorum.

1. 7. Visitatio ad quem pertineat.
2. procuratio visitationis plerumque quaestiones excitat.
3. Testator voluntatem suam legibus accommodare censetur.
4. Monachus à suo monasterio absens manet semper obediensarius.
5. 11. Visitatio remitti non potest.
6. Compromitti non potest per inferiorem sine superiore super re Ecclesiæ.
8. Visitatio delegari potest.
9. Emptio quomodo inducatur.

10. Visitandi ius superioritati annexum est.

12. Reditus annui redemptio quando præsumatur.

CONSILIVM CCCCXLVIII.

IVS TA ratione movetur Reverendus Pater Generalis Ordinis Cruciferorum; cum vult visitationi suæ subijcere, ac visitare Collegium studentium dicti Ordinis in oppido Lovaniensi fundatum. * Cum enim ad eum ratione superioritatis ac majoritatis pertineat visitatio omnium Conventuum & monasteriorum ejusdem Ordinis, c. 1. §. hanc autem De censib. lib. 6. merito quoque, & majore ratione visitare poterit, quæ inde derivantur, Ordini quæ subfunt, Prioratus, Collegia, aliaque pia loca. Quemadmodum is, ad quem pertinet Ecclesiarum visitatio, Capellas quoque Ecclesijs subditas, & Capellanos visitare potest, d. c. 1. §. deinde. Et quamvis visitatori non permittatur visitatio graviorum, seu villarum, quæ per conversos monachos laicos coluntur, c. finali De censib. permittitur tamen omnium locorum, in quo Monachi religiosi constituti sunt, & in quo conventus aliqua est species, Gloss. in d. c. fin.

* De quo in proposito non est dubitandum, ex eo, quod hic non agatur de procuratore exhibenda, ob quam plerumque excitantur quaestiones ac controversiæ circa visitandi facultatem, c. cum Apostolus De censib. & quæ interdum non patitur visitationi subijci minuta & paupertate laborantia monasteria, Hostiensis in c. Cum nuper De censib. sed tantum de nudâ visitatione & correctione, quæ merito averti non potest. Cum aliqui etiam visitationem cum procuratore admittere debeant hujusmodi minuta collegia, quoties superior, ad quem visitandi onus & facultas pertinet, aliquid finitum ac grave, & quod sine majore offenculo dissimulari aut tolerari non potest, audire ac percipit, Socinus in tract. de visitat. nu. 10.

Quamobrem nihil obstat bono ac pio conatui præfati Reverendi Patris, quod hoc Collegium immediate subfit Monasterijs Namurensi & Goesensi ex dispositione fundatoris: nam cum in ea dispositione nihil sit, quod ad exemptionem aliquam tendat, sic accipienda est voluntas ac dispositio ipsius, ut de jure accipi oportet; quia secundum illud censetur testator voluntatem suam explicare & accommodare, l. Quaro §. inter locatorem D. Locati, Alciat. de præsumption. reg. 3. nu. 32. Neque sanè potuisset fundator adversus sacros canones efficere, ut turbata monastica disciplina ac regulâ, hi Religiosi in hoc Collegio dissolutionis vitæ occasionem haberent, l. Nemo potest & ibi doct. De legat. 1. * Sicut ergo Religiosus etiam canonicus regularis, dum præfatur Ecclesiæ etiam solus, non eximitur à superioritate ac jurisdictione sui Prælati immediati aut mediati, sic quod quodcumque per suum superiorem revocari possit ad suum monasterium; quia manet obedientia rius, c. 1. §. in eas De privileg. lib. 6. Clem. 1. versio. præmissa De supplen. neglig. prælat. ita quoque multò minus eximitur is, qui ad studium emittitur; & omnium minimè, si ad conventum ejusdem Ordinis conventualiter videtur, & studio operam daturus mittitur; prout hic evenit secundum dispositionem præfati testatoris. Prærogativa itaque, quæ testamento dictis duobus monasterijs